

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0756

Martedì 14.10.2014

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

◆ **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al centenario della fondazione del Movimento Apostolico di Schönstatt (Schönstatt in Vallendar, Germania, 16-19 ottobre 2014)**

◆ **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al centenario della fondazione del Movimento Apostolico di Schönstatt (Schönstatt in Vallendar, Germania, 16-19 ottobre 2014)**

In data 19 agosto 2014, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Giovanni Lajolo, Presidente emerito del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, a Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione del centenario della fondazione del Movimento Apostolico di Schönstatt, in programma a Schönstatt in Vallendar (Germania) dal 16 al 19 ottobre 2014.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Mons. Peter WOLF, del clero di Freiburg im Breisgau, Direttore Generale dell'Istituto dei Sacerdoti Diocesani di Schönstatt;

- P. Michael MARMANN, già Superiore Generale dell'Istituto dei Padri di Schönstatt e Presidente del Presidio Generale di Schönstatt.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco all'Em.mo Card. Giovanni Lajolo:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

IOANNI S.R.E. Cardinali LAJOLO

Pontificiae Commissionis ac Gubernatoratus Status Civitatis Vaticanae

Praesidi emerito

Saecularis mox recoletur memoria ex quo tempore *Motus Apostolicus Schönstatt* est conditus, complectens posthac complures fideles, apostolico studio incensos. Etenim apud "Pulchrum Locum" illum Beata Maria Virgo impensius coli coepta est, quippe quae materna sua tutela ipsa cunctis ad se decurrentibus adiumenta largiter praeberet. Intervenientibus duobus mundanis bellis, cum omnia labi viderentur, probi homines sursum ad caelum oculos sustulerunt, superna praesidia fidenter petitori. Annorum quoque decursu inde incitamenta obvenerunt ad operam in Ecclesiae beneficium navandam.

Admodum ideo aequum est et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et merito extollatur. Celebratio enim haec facultatem dat non modo huius Motus incunabula commemorandi, verum ipsius proposita confirmandi, quo homines qui nunc sunt ad potiora trahantur.

Ipsa igitur miserenti favente Domino, proximi mensis Octobris diebus XVI-XIX, recoletur centenaria haec memoria, frequenti adstantium civium corona, cum huius loci primordia revocabuntur ac superiora pietatis testimonia.

Quocirca cum Reverendus Pater Henricus Walter, *Motus Apostolicus Schönstatt* Praeses, rogavisset ut Purpuratum Patrem mitteremus, huic postulationi obsecundandum iudicavimus, quo ritus ille elatius et luculentius explicaretur. Ad te ideo, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, quandoquidem in Germania Apostolici Nuntii munus studiose olim sustinuisti. Quapropter idoneus occurris ut eventui illi intersis personamque inibi Nostram geras. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **Missum Extraordinarium Nostrum** renuntiamus et constituimus ad celebrationem diebus XVI-XIX mensis Octobris Sconestadii, quod vulgo *Schönstatt* appellatur, agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam tenendamque, Ecclesiae Matre opem affatim ferente. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futurum in tempus supernarum gratiarum documentum, dum pro Nostro ministerio Petrino efficaciter gerendo preces amabiliter petimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Septembris, in Nativitate Beatae Mariae Virginis, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS

[01611-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0756-XX.01]